Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8179.aaa 54.

Digitized by Google

K. Portugal. Johan Kiny

224.

# BREVIS REPETITIO

Omnium quę Excellentiſsimus D. Legatus Portugalliæ ad componendas res Braſilicanas propoſuit vel egit a die 23. Maij. uſque ad. 1. Novembris hujus anni 1647. Exhibita Celſis Prępotentibus D. D. Ordinibus Generalibus harum Confœderatarum Provinciarum. ad. 28. diem ejuſdem menſis.



HAGÆ-COMITIS,
Excudebat Ludolphus Breeckevelt,
Typographus. Anno 1647.

Digitized by Google

Digitized by Google

# Celsi Præpotentes Domini Ordines Generales Unitarum Provinciarum.

POstquam duobus circiter annis, non nisi in ventum & aëren verba protuli, placuit tandem vestrę Celsitudini, 23, Aprilis hujus jam labentis anni, nominare commissarios qui me audirent, quod quidem præstitêre 23. die May, mense scilicet sequenti.

In qua conferentia, triplex medium proposui rebus Brasilicanis componendis, prout temporis tunc mihi permittebat opportunitas, & Regis Domini mei instructio suggerebat.

Habuit semper hoc sua Majest. in votis, quibuscumque modis potuit ostendere quantopere propensus sit illius animus vobis satisfaciendi. Ideo illius nomine vobis obtuli, omme id ad quod tunc temporis illius sese extendebat potestas 1. me in Brasiliam proficisci ad procurandam blanditijs & via benevolentiæ, sublevatorum illorum hominum reductionem, credebat enim apud illum populum, non parum valituras rationes & persuasiones, quæ illi a Ministro suo potestate sua publica & Regia, munito, proponerentur 2. si forte societas vellet cedere juri suo quod in loca Pernambucana habebat, illi soluere, quantum ejus capitalis summa tunc valebat 3. soluere totam summam capitalem in solidum, sub conditione induciarum cum Castella obtinendarum; licet enim ingentem vim peccuniæ illa summa contineret, facile tamen fuisset illam invenire quando ad continuas belli expensas Regis non exhauriretur ærarium. Iudicatæ fuerunt hæ meæ propositiones, non solum non accomodatæ rebus Brasilicanis componendis, verum etiam omnino impertinentes & a ratione prorsus deviæ. Nec desuper responso aliquo me dignati estis.



Digitized by Google

Augusti die 26. in publico hoc vestrę Celsitudinis consessu, nomine suæ Majest. iterum obtuli efficere, ut loca Pernambucana, a sublevatis vestris subditis occupata, vestro denuo restituerentur dominio, sub conditione tamen quæ ratione temporis tunc importuna visa fuit, erat illa induciarum vestra opera & interventione a Castella nobis impetrandarum. Hanc conditionem ponebam, eo quod vires Regno extrahere necesse foret, & in Brasiliam mittere, ijsque ibidem uti, quando verba & bonæ rationes non sufficerent, ad illum populum subjugandum, compellendumque ad restitutionem prestandam : Nemo enim non intelligit quam inconvenienter Portugallia foras mitteret robur sui exercitus, quando pace per totam Europam constituta, in unam illam, totum belli pondus irrueret, nec ad istam propositionem responsum obtinui.

Iamque sine illo mihi elabebantur aliquot dies, cum ecce iterum apud vestram Celsitudinem insto & peto mihi Commissarios nominari, quibuscum agere possem, habebam enim illis res communicandas (dicebam) maximi momenti. Nominati fuerunt, & in conferentia quæ habita fuit 11. Septemb. restitutionem proposui non jam conditionatam sicut ante sed liberam & absolutam, jusserat enim sua Majest. ut ita vobis illam proponerem, novis quas jam tunc ab illo acceperam litteris, quibus ajebat, certiorem se factum, a præcipuis factionis Pernambucanæ hominibus illos sese submissuros vestræ obedientiæ, quo promisso ad illius instantiam se obstrinxerant, & consequenter securus mandare tunc poterat, restitutionem a me ita absolute vobis offerri, Regiumque suum verbum oppignorari. quo tamen non contenti Domini Commissarij, petierunt majoris securitatis ergo, alias sibi cautiones dari, quibus ego, etiam de illis (ajebam) me paratum agere, dum modo certus forem, vestram Celsitudinem, restitutionem acceptare & amicitiam a Rege Domino meo vobis oblatam. Postero die cum redirent Domini Commissarij

Digitized by Google

missarij & mihi assererent vestram Celsitudinem de amicabili compositione mecum agere velle. Dixi suam Majest. omnino effecturam, sive verbis sive armis, ut restitutio fieret, & quo ad cautiones vestrum esse, mentem vestram apirire & illas nominatim postulare. Bahiam postularunt, verum evidentibus rationibus demonstravi quam impossibile sit illam in cautionem dari quibus dum credidi illos satisfactos, eo quod contra non arguerent & procederent ad aliam cautionem petendam, scilicet Insulam Terceiram, in qua eædem impossibilitatis rationes (uti ostendi) etiam militabant, dixi si cautio aliqua dari deberet (quod ego omnino judicabam non esse necessarium) melius & minori inconvenienti illam dari posse intra quam extra Regnum, & statim quinque vel sex loca nominavi, portus maris, liberumque illis reliqui ut quem vellent eligerent; die altera convenit me D. Bronckhortius, & petijt a me scripto sibi dari quidquid in conferentia actum fuerat, scriptum istud sequenti die ad illum misi. post hęc, iterum apud vos altum silentium.

Et licet litteris memorialibus frequenter vestræ Celsitudini exhibitis, non destiterim ad tœdium usque illam interpellare pro responso obtinendo, tandem 15. Octobris, littera viva ego ipse in persona coram vobis comparui, iterumque me obtuli in Brasiliam proficisci, & restitutionem exequi, ut dum vestræ Celsitudinis classis ibi appelleret, non necesse haberet arma exercere ad illam vi extorquendam, sed tantum manus porrigere, ad sponte oblatam acceptandam; ostendebam contra quosdam meos calumniatores qui me traducebant, quasi aliud non intenderem quam classis vestrę expeditionem retardere & negotio Monasteriensi impedimentum inijcere, quod de hoc jam non loquebar amplius, in isto quod me non immiscerem, peteremque solummodo, pro rebus Brasilicanis componendis quæ moram non patiebantur festinari, propterea & non alia de causa, dicebam in cautionibus postulandis & concedendis nos immorari non de-



Digitized by Google

bere, peti illas posse & dari, sed ad præ cavenda majora incommoda, omnimo esse necessarium quam citissime agere de puncto principali, cætera autem tanquam accessoria postea posse tractari.

Super propositione hac a me exhibita decretum fuit a vestra Celsitudine, ut denuo Commissarij me convenirent, & instituta fuit inter nos conferentia 1. hujus mensis currentis, operæ pretium erit illam breviter & summatim hic in memoriam reducere.

Primum punctum quod in conferentia ventilabatur, fuit, an procuratio suæ Majest. ita ut erat scripta, esset sufficiens pro tractando negotio restitutionis, verba namque amplissima & generalia continebat, neque ulla in ea particularis & expressa mentio fiebat de restitutione, quamobrem dubitabatur utrum plenarie authorizatus essem, respondi ideo verba generalia & amplissima in Procuratione mea contineri, ut omnes casus & clausulas super materia subjecta comprehenderet, alias necessarium foret super quacumque clausula particulari tractatus, novam & particularem procurationem habere, quod locorum distantia non permittebat. deinde esse stilum Regni non alia forma procurationes dare, ac denique cum tractatus induciarum decennij, ad pacem perpetuam esset reducendus, & restitutio de qua agimus conditio illius futura erat, nullum dabatur dubium, imo quilibet cumque difficultas cessabat, & casu quo ad huc aliqua suboriretur, eam suę Majest. ratihabitio tolleret.

Tunc de, & super, divisione finium tractavimus & voluerunt Domini Commissarij includere Capitanias de Seará & Maranham intra limites restitutionis, penitus tamen hanc propositionem recusavi, duabus de causis, 1. quia Capitania de Maranham fuit capta mala fide ut videre est in prima & secunda propositiona habita ab Exmo. Legato Domino Francisco de Andrada Leitam, ubi omnes refert circumstantias casus; Deinde non

longo

longo tempore post captam, redempta fuit, ab ipsis incolis Lusitanis, nullo externo adhibito auxilio, & in pristino statu restituta fuit, & super hoc casu tanquam justificato, nec verbum quidem usque in præsens a societatis directoribus audivimus, 2. causa, quia sua Majest. se obligat tantummodo ad restitutionem locorum captorum a sublevatis de Parnambuco, Itamaracá, Paraiba, & Rio Grande, de quibus est questio, & ideo deberent incipi termini Capitaniarum inter utramque nationem a Meridie id est a fluvio S. Francisci usque ad fluvium magnum a parte Septentrionali.

Demum super Capitania de Seregippe del Rey disputatum fuit quam volebant Domini Commissarij etiam intra fines Societatis includere conclusum fuit, quod si occupata sit ante Treguæ publicationem vestræ jurisdictioni cederet, sin minus, sua Majest. in illam jus haberet & tunc inciperet vestra jurisdictio a Rio Grande usque ad Seregippe del Rey inclusive vel exclusive, prout de tempore quo capta est probatum fuerit.

Hinc ventum est ad Societatis jacturas & damna quæ Domini Commissarij in duas partes diviserunt, fateor me calculum non potuisse rectè comprehendere, videbatur namque mihi Dominos Commissarios, bis eandem rem repetere, quia inter damna generalia alterum particulare computabant, nempe ortum ex combustione arundinum saccarearum in Paraiba, & Gojana, dicentes incolas ibi hoc fecisse a Bahianis militibus compulsos; sed ad hæc cum distinctione respondi, scilicet quod facta restitutione locorum a sublevatis captorum, reponerentur fortalitia cum tormentis & munitionibus, in statu quo erant, tempore quo capta fuerunt, damna vero passa ab incolis propter arundinum saccarearum exustionem, quam tanquam veri, a directi Domini in suis bonis fecerunt, neque ab ipsis met peti potest illorum reparatio, quanto magis a sua Majest. & quod attinet ad coactionem Bahianorum militum, provenire hanc informa-

ma.

Digitized by Google

mationem a Societatis directoribus, quibus alteras habebam contrarias, & ideo conveniens fore ut hoc punctum in ipsa Brasilia coram me & Parnambuci gubernatore anditis partibus, ad utriusque satisfactionem accomodaretur.

Post hæc duplicem cautionem a me postularunt, primam, pro restitutionis securitate: respondi omnium securiorem & faciliorem & ad brevitatem effectus magis accommodam, esse, me ire hinc in Brasiliam, & ipsam restitutionem executioni mandare, & ni ita contenti essent, retinerent Taparicam, usque ad restitutionem plenarié prestitam. Secunda, quam petebant, cautio erat, ne in futurum novę seditiones insurgerent, & pro illius securitate Bahiam postularunt, respondi 1. cautionem prestare debere accipiété non dátę, 2. quæsivi quam cautionem prestaret Castellæ Rex pro securitate pacis vobiscum ineundę, si ergo, dicebam pro securitate & observantia pacis Castellanæ, est cautio verbum magis illud valere debet pro contractibus & tractatibus inter amicos ineundis & observandis. Nihilominus si licita, possibilia, & honesta peterent, suam Majestatem paratam esse præstare, ut ostendat vestræ Celsitudini, quantum cupit res istas componere: Bahiam vero in cautionem dare, non solum res erat difficultatibus, sed etiam impossibilitatibus plena: precedere namque deberet populi Portugalliæ consensus, ubi tumultus propterea timendi forent, quorum circumstantiæ vestro relinquuntur perpendendę judicio; deinde casu quo hoc inconveniens obuiari posset, in ipsamet Bahia idem inconveniens potest & debet timeri. imo & multo magis, nam certissimum est incolas ibi non consensuros Bahiam pro cautione obligari, & si a sua Majestate ad hoc vi cogantur, posset facile accidere quod redire vellent ad obedientiam Regis Castellæ, quem jam experti sunt quantum Lusitanos in Brasilia a vestra dominatione & arte & marte studuit liberare; itaque sicut impossibilis & periculosa, ita impracticabilis dicebam est hæc de Bahia in cautionem

danda

Digitized by Google

danda propositio, & urgebam ulterius, quis arbiter foret qui coerceret vestros & nostros milites ut in Bahia simul pacificé & quieté viverent, cum sint natione & religione contrarij, & militibus solitum sit, non rationibus sed gladio suas controversias & dissensiones dirimere. Tandem cōclusi meliorem & securiorem cautionē penes vos ipsos esse, si mittatis probos & honestos Gubernatores in Pernambucū, qui justitiam colant fidem & cōtractus observent, observarique curent, & incolas Lusitanos a violentijs præteritis & futuris liberent, ita & non aliter malis, & timori de futuro posse mederi; Et adieci quod in finibus Capitaniarum fortalitia extrui possent ad securitatem utriusque partis, quorum fabricam vel illorum præsidia sua Majestas suis expensis persolueret, & si hoc non placeret, posset in ipso Recifo vobis persolutos dare quingentos presidiarios milites. Vnum seu alterum ad certum annorum tempus determinatum.

Vltimo petiere Domini Commissarij pro damnis & interesse Societatis ducenta & octingenta vasa auri, quasi vero sua Majest. causam dedisset tanti damni, memini me intellexisse actiones Societatis anno 1645. ante Pernambucanam revolutionem non pervenissé nisi ad. 40. pro 100. & tali pretio venditas & emptas fuisse a mercatoribus in bursa & foro publico, secundum quod prætiū, summa capitalis non poterat altius ascendere quam ad quinquaginta circiter vasa auri, & casu quo Societas tunc temporis isto pretio summam suam capitalem vendidisset, etiam cedere debuisset omnia fortaljtia acquisita in conquisitionibus, naves, arma, tormenta bellica, munitiones, & omnes mercium basilicas seu Magasins ut vocant, quia omnia hæc a capitali emanarunt. Si hoc ita est & actiones sunt hodie in eodem pretio, cur petitur summa tam exorbitants & excessiva? & unde hoc debitum contraxit sua Majest. talem summam persoluendi? At vero quamvis sit moris & longo usu observatum, quod facta compositione super aliquo incommodo vel contentione, maneant res in

 statu-

Digitized by Google

ſtatu in quo iuveniuntur tempore executionis contractus, tamen ut innoteſcat ſuæ Majeſt. intentio, & veſtræ amicitię ſervandę & continuandæ cupido, dixi Dominis Commiſſarijs ut reduceremus cauſam hanc ad judices arbitros, nominatos prout juris diſpoſitio dat, & illorum arbitratui ſtaremus.

Hæc fuit ſummaria conferentię concluſio, cui adieci, quod ſi Celſitudini veſtræ placeret, ut de communi conſenſu mediatorem eligeremus, tanto citius & commodius cauſam hanc terminari & componi poſſe.

Elapſis denique a conferentia aliquot diebus ad meam notitiam pervenit quod aliqui dicerēt me a cautionibus in prima conferentia propoſitis retrocedere, eo quod de Locis ſeu Caſtellis ibi nominatis & in Regno ſitis, in hac conferentia nullam mentionem feciſſem, ideo 11. hujus menſis currentis veſtrę Celſitudini memoriale exhibui, & declaravi quod de illis locis filui eo quod Domini Commiſſarij qui Bahiam petierant, de illis non loquerentur, & ideo crederem dicta loca illis non placere, alioquin ſi placent, declaravi ſicut & nunc declaro, me perſiſtere in ijs quæ aliquando obtuli.

Eo uſque tractatum fuit ut non ego ſolum, ſed nec veſtri dubitarent negotiationem feliciter ad optatum finem eſſe perducendam, ſic enim in emptionibus & venditionibus, dum emptor in prætio aſcendit, & venditor in illo deſcendit, ſolent contractus celebrari.

Sed ecce mirum quid, quando 16. hujus publicata fuit veſtra pacis ineundæ cum Caſtella concluſio, audio inde inferri valde deformem & inexpectatam conſequentiam; Ergo bellum cum Portugallia.

Fateor illationem hanc non eſſe niſi popularem, nam a prudenti veſtro regimine, & ab experientia quam de Caſtellano habuiſtis, jam per octoginta circiter annos, totus mundus expectat differentibus terminis vos concluſuros, nimirum, Pax cum

Caſtella,

Digitized by Google

Castella; ergo tres vel quatuor legiones militum, ex optimis quas habemus, mittantur in subsidium Portugalliæ: Quantum enim interest bono communi harum Provinciarum, & quorumcumque Principum illis amicitia alligatorum, Regnum istud fulciri & conservari vos ipsi non solum intellexistis, sed palam publicastis, mox dum ad vos pervenit fama acclamationis Regis Domini mei, tunc enim antequam adhuc ad vos aliquis ab illo missus esset legatus, ad diem. 23. Ianuarij anno 1641. cum Excellentissimus D. Franciæ Legatus a vobis peteret duodecim naves bellicas in subsidium Catalauniæ, *decrevistis melius fore & magis expedire illas in subsidium Lusitaniæ mittere.*

Et eodem anno ad. 5. Martij capitulo primo convocationis Ordinum Hollandiæ & West-Frisię, a vobis statutum fuit his verbis.

*Summe considerantes Domini Status Generales, ex insinuatione suæ Celsitudinis D. Principis Auriaci, occasionem quam Deus his Provinciis Confœderatis, paucis ab hinc diebus, in Portugallia, in puncto seditionis elucescere fecit, qua aperta via designatur superbiæ Regis Hispaniæ, ictum non levem conferendi, ideo Domini Confœderati ut membra hortantur ad liberrimum consensum, pro parte Hollandiæ ad ferendi summam tercentorum, mille florenorum, in illum finem, ut de illis quam citissime non habita ratione ordinariarum navium bellicarum, in auxilium & sub conducta respectivé collegij Admiralitatis, & sub uno commodissimo Gubernatore, mari credatur, eaque in Portugalliam mittatur, ad Regem novum istius Regni, Ioannem 4. istius nominis, in cœpto proposito consolidandum, illa confidentia, ut Societates, Ost & West-Indciæ, cum particularibus armatoribus, pro augmentamento prædictæ Classis suam Cottam non denegabunt, ad quod etiam efficacissimé extrema media adhibebuntur.*

Item sub finem dicti anni dum hortaretur vos consilium Status ad exercitum anno sequenti in campum producendum, ita ferè & tam magnificé de Portugallia loquitur.

*A quo tempore vestræ Celsitudini ultimam nostram Propositionem*



Digitized by Google

*exhibuimus, super rebus bellicis dirigendis, tam notatu digna & inexpectata in rebus Mundi accidit immutatio, ut omnes homines summo cum stupore defixos teneat, & non valentes illam comprehendere, cogantur agnoscere, eam factam esse a Domino & in suis oculis mirabilem apparere. Detrusus est de Portugalliæ Throno Potentissimus & arrogans Hispaniæ Rex & ad illũ elevatus est humiliatus Dux Barganciæ. * a Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris. Cujus namque humana industria eo unquam potuisset penetrare, ut credidisset Hispaniæ Monarcham, uno die sine pugna sine ictu vel strepitu posse perdere Regnum tam potens, quale est Portugallia, & cum illo tot alia Regna inde dependentia in tribus Orbis partibus situata? Deo sit honor qui terruit illum, qui terror erat Christianismi, imo totius Mundi. Deo sit honor qui ut nos liberaret, convertit inimicorum nostrorum gladios in semetipsos. Castellani, Lusitani, & Catallani enses, solebant olim acui in nostro sanguine, nunc hi acuuntur in Castellanorum sanguine & versa vice. Majores nostri arma sumpserunt, contra tam potentem Tirannum, non videntes quem sortirentur exitum sola spe & fiducia qua credebant Deum causæ suæ propriæ non defuturum. Seculo vivimus, quo oculis cernimus quod videbatur omnino esse impossibile, scilicet quod humiliari posset tantus Monarcha, quod ejus Monarchia divideretur & in partes dissinderetur. a Domino hoc factum est, qui ostendit sibi fuisse possibile, quod apud homines videbatur impossibile, qui ostendit suam & nostram causam, se posse & velle defendere & fulcire, licet nos latcret prorsus illius exitus. quam laudem sufficientem & quas gratias Deo pro hoc reddemus? palam ostendemus nos credere, hoc ipsius esse opus, Deum esse qui inimicum nostrum depressit, &c.*

* Si vero ex Deo est non poteritis dissoluere illud ne forte & Deo repugnare inveniamini. Act. 5. v. 39.

Porro Celsi Prepotẽtes Domini Ordines Generales, quis in hac laudabili vestra Republica, istas immutavit maximas? si tunc ita sẽsistis si Portugalliæ divisionem opus non ab homine sed a Deo patratum credidistis, si judicastis vobis adeo proficuam, dignamque cui conservandæ subsidium adferre non dubitaretis, quomodo nunc ab illo adeo dissentire videmini? sciebatis tunc quando-

cumque

cumque de pace ageretur, Castellam, eam nunquam vobis esse denegaturam quacumque forma eam petijssetis, ex tunc vestræ prævidentiæ oculus non solum præsentia sed etiam futura considerabat, qui & impresentiarum multo magis debet aperiri, cum enim a Castella præter ipsius verbum, non habeatis cautionem aliam certe non contemnenda cautio illa est quam Portugallia vobis dat si illam conservare studueritis, in qua Castellę Rex semper habebit hostem irreconsiliabilem, se inquietantem, & continuum sibi præbentem exercitium.

Erit qui dicat Parnambucanos tumultus, immutasse has bonæ Politices maximas. accidentia mutauerint, non illarum substantiam, voluntates non effectus.

Dici audio, mirum in modum festinari cum vestra classe ut quam citissime hinc discedat, quod nec laudo, nec vitupero, etenim satis super que maturo vestro expenderitis judicio quid vobis magis expediat. liceat tamen mihi unum inquirere, quamvis sciam mihi non responsum iri. Quo vadit illa? Bahiamne versus an Parnambucum? si Bahiam, quâ fide? quo jure? qua ratione? cum locus ille ad suam Majest, pertineat, quacum si vos tœdeat diutius servare pacem, prius illi indicendum est bellum quam movendum, maximé cum nondum induciarum exspirauerit tempus, quibus adhuc tres anni super sunt.

Bahiam autem armis occupare, non est res ita facilis negotij sicut quidam sibi imaginantur. Si Classis vestra Pernambucum vadat frustra sane, & sine causa itis multo labore & magnis expensis acquirere, quod sponte oblatum, absque aliquo vestro dispendio potestis obtinere. Porro cum ibi vester miles appulerit, defatigatus tam longo maris itinere, ubi se tantisper rofocillabit ut vires colligat? non enim plus terræ ibi vobis super est, quam fortalitiorum vestrorum muris includitur. Verum concedamus mox ut ibi appuleritis facilé vos posse tantum terræ lucrari, quantum isti necessitati subveniendæ sit satis, tunc alia majora, & forte

per multos annos irremediabilia sequentur incommoda: sciunt enim incolæ Pernambucani, me hîc vobiscum de illorum rebus componendis agere, ubi ergo viderint me non advenisse, sed in campo positum a vobis, numerosum exercitum, quid sibi persuadebunt aliud, quam qui loca illa pacifice oblata aceptare noluistis, quod ad jugulandum illos venistis, tunc (*una salus victis nullam sperare salutem*) vos ipsi judicate quid expectari possit ab hominibus in ultimam desperationem ad actis. Certum enim est vel carissimé vendent vitam suam, vel res suas tam vili habebunt ut eas igni tradant, hoc enim jam minati sunt non semel & anno superiori dum classis vestra primum ibi appelleret in aliquibus locis defacto cæperunt exequi. Hoc tamen non obstante scio quosdam in hoc persistere ut dicant rebelles illos in exemplum aliorum castigari debere. Sed nescio quaratione castigationis rigorem recte impensum censeant, in illis qui res suas vobiscum componi desiderant & volunt sponte (si mecum convenire non dedignemini) sub vestra obedientia redire, præsertim dum experientia Magistra didicimus, subditos multoties nimia severitate perdi, qui lenitate & clementia vinci potuissent uti exempla quamplurima testatissimum relinquunt. Profecto si quis de nocte incedat potest in præceps ruere, licet oculis valeat, ob lucis defectum, at claro die cadere maximæ est cæcitatis argumentum.

Tandem & ultimaté iterum dico, me esse paratum promissis stare quæ vobis feci. Non intendo retardare multo minus impedire vestræ classis profectionem, solum judico expedire ut concordemus antequam illa hinc discedat, & ut ego præeam, quatenus ab hominibus istis tollam apprehensionem mali, quod timebunt, vestro adventu sibi imminere. Qua in re ignoro penitus quid vos detineat? si enim non compleo quæ promitto, vestris manibus arma non excutimus, quibus semper vobis fas erit & liberum id agere quod vestro commodo magis judicaveritis expedire.

Ad

Digitized by Google

Ad effectum restitutionis, ita omni potestate & auctoritate necessaria sum instructus, ut necesse non habeam aliam expectare.

Memores vos velim, vestram inter alias Christiani orbis Respublicas ad summum splendorem pervenisse, cur ergo illi vultis maculam inijcere, bello injusto? contra nascentem Regem? & Regnum, cujus vobis tanti inter-est illud tueri & conservare? quocum adhuc habetis inducias quarum rupturam illi non potestis imputare? nescio quis probus hoc probet.

Sed posito casu in omni rigore, & sit id verum quo calumniatores suam Majest. accusant, est ne tanti æstimanda unius Provinciæ seditio, cujus vobis promittitur reductio & in pristino statu restitutio, ut sit sufficiens ratio belli inchoandi inter duos status tam notabiles quales sunt Portugallia & hæ Provinciæ? Itane Regem quem tanto applausu & omnium votis jam pridem inter amicos vestros adscripsistis, inter inimicos vultis numerare? satius fuisset cum illo nunquam inijsse amicitiam quam illam tam temeré abrumpere, quid Mundus ad hæc dicet & quale de vobis judicium feret, cum viderit intereffe particulare unius Societatis a vobis ante poni, commodo communi totius vestri populi? quē denuo necesse erit onerare exactionibus, quādo in totū ab omnibus poterat alleviari, qua ratione (inter alias) non parum moti fuistis, in pacem consentire a Castella vobis oblatam.

Peto itaque & obnixé rogo a vestra Celsitudine mihi exhiberi super hoc scripto responsum categoricum quod equidem si non obtineam, ipsum silentium responsi loco habebo. Interim promptus sto, si de rebus componendis velitis agere, fieri autem debet illa compositio, antequam hinc vestra classis discedat quod dico; non quasi illud ponam, tanquam conditionem sine qua non; quocumque enim modo, vel discedat vel non discedat vestra classis, vobiscum convenire & pacisci desidero; sed quia illud ita magis expedire judico. Vbi enim vestra classis hinc

dis-

Digitized by Google

discesserit & Parnambucum pervenerit, super quibus rebus tunc componendis poterimus agere, nisi super desertis & devastatis agris, super ruinis & damnis irremediabilibus. Et si vos non miseret super extincta fertilitate unius tam magnæ Provincię certé a natura alienum nō videri debet, si ego doleam super extrema calamitate tot millium meæ nationis hominum, & scire vos velim, si vos forte lateat, quod octoginta millia vivant in districtu qui ad vestram jurisdictionem pertinet.

Addo finaliter & concludo, quia de compositione facienda locutus fui antequam vestra classis discedat, si forte vobis visum fuerit, melius de rebus componendis in ipsa Brasilia agi posse, dum miles vester ibi appulerit, & pręsens steterit, quod etiam in hoc me promptum offero, contentus, si malitis, ut in Brasilia paciscamur. Vnicâ tamen & illâ levi difficultate hîc loci, prius remotâ, quam primâ conferentiâ tollere poterimus.

Datum Hagæ-Comitis ad diem 28. Novembris 1647.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google